Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



solus circumfulsisse me lumen & eos qui mecum simul erant omnes q nos cum decidissemus in terram audiui uocem loquentem mihi & hebraica lingua. Saule saule quid me persequeris. Durum est contra stimulum calcitrare. Ego autem dixi quis es domine. Dominus autem dixit. Ego sum ihesus nazarenus quem tu persequeris. Sed exurge et sta supra pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi ut constituam te ministrum et testem eorum que uidisti et eorum quibus apparebo tibi eripiens te de populis et gentibus in quas nunc ego mittam te aperire oculos eorum ut conuertantur de tenebris ad lucem et de potestate satanae ad deum ut accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos per fidem que est in me. Unde rex agrippa non fui incredulus celesti uisioni. sed his qui sunt damasci primum et hierosolymis & in omni iudee gentibus annunciabam ut penitentiam agerent et conuerterentur ad deum digna penitencie opera facientes. Hac ex causa me iudei cum essem in templo comprehensum temptabant interficere. Auxilio autem adiutus dei usque in hodiernum die testificans maiori usque ad minorem nichil extra dicens quam ea que prophete locuti sunt futura esse et moyses si passibilis christus si primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus est populo et gentibus. Hec loquente eo & rationem reddente festus magna uoce dixit. Insanis paule multe littere ad insaniam te conuertunt. & paulus ait non insanio optime feste sed ueritatis et sobrietatis uerba eloquor. Latet enim hec enim nequaquam in angulo factum est. Credis rex agrippa prophetis. Scio quia credis. Agrippa autem dixit ad paulum. In modico suades me christianum fieri. Et paulus. Opto apud deum et in modico & in magno non tu te sed et omnes hos qui audiunt me hodie fieri tales qualis et ego sum exceptis uinculis his. Et exsurrexit rex et presses et bernice et qui assidebant eis. Et cum secessissent loquebantur ad inuicem dicentes. quia nichil morte aut uinculis dignum facit homo iste. Agrippa autem festo dixit. Dimitti poterat homo iste si non appellasset cesarem. Sic iudicauit presses cum uitere

Et cum autem iudicatum esset cesari ut nauigare in italiam & tradi paulum cum reliquis custodis centurioni nomine iulio cohortis augustae. Ascendens autem nauem adrumentinam et incipientem nauigare circa asie loca. Sustulimus perseuerante nobiscum aristarco macedone thessalonicense. Sequenti autem die deuenimus sydonem. Humane autem tractans iulius paulum.

331